Imprimatur

Guil. Jane.

Maii 14. 1677.

Imprimatur

Guil. Jane.

Maii 14. 1677.

EPISTOLA IRENICA

AD

Venerandos Verbi Divini Ministros Regnorum *Angliæ Scotiæq;* indigenas

Semetipsos ab Ecclesiâ Nationali segregantes.

CUI

Junctæ Meditationes Sacræ de Unitate Ecclesiæ *Britannicæ.*

J. SEOBALDI FABRICI
S. Theol. D. Academiæ Heidelbergensis Professoris atq; Ecclesiastæ, Com. Pal.

LONDINI,
Typis *Thomæ Newcombii,* Impensis *Jonathanis Edwin,* ad Insigne *trium Rosarum* propè *Ludgate.* 1677.

REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI.

THaſce ad vos dare auſim nuperrimæ Heidelbergâ tranſmiſſæ efficiunt literæ, quîs ſex Paſtores Scoticos in Hollandiam migraſſe, atque ut inde præfixo temporis ſpacio diſcederent ab Ordinibus mandatum recepiſſe ſignificatur. Indolui talia legens non ſecùs ac ipſe ſimili implicitus infortunio: nam & hîc Peregrinus dego & quibus involvantur atque circumdentur incommodis patriâ procul conſtituti, decurſu triennii, dum Bello (quod me in Britanniam protruſit) infelix Germania flagrat, abundè ſatis ſum expertus: adeò ut eorum qui præſertim ejuſdem mecum ſunt vocationis ſacræ, ſive *fortuitis atque improviſis* ſivè *conſultò importatis*

importatis adverſitatibus profundùm ingemiſcam. Atque huic ærumnæ quodammodò privatæ, alia in literis jungebatur publica, Ducentarum in patriâ regionéque confini urbium pagorumve queîs mox trecenti addebantur vici horrenda conflagratio, cinefactio barbarica, innumeris iiſque innocentiſſimis extremam nec emendabilem unquam infligens miſeriam. Quæ cùm diſcuſſo nonnihil mærore turbido, & acerbitate luctûs mitigatâ curatiùs penſitarem, *UTRIUSQUE MALI CAUSA* videbatur *EADEM*, PACIS *nimirum* QUA SACRÆ QUA CIVILIS AVERSATIO; *excitata INTER GERMANOS UNITATE IMPERII SOLUTA, IN BRITANNIA vero UNITATE ECCLESIÆ PER SCHISMATA cætuumve ſeparationes DISCISSA.*

Certè ut in Patriâ meâ Bellorum incendium quævis obvia vaſtans, ab animorum divulſione ſubortum, ſic in Britanniâ quorundam animi tàm vehementer ſunt incenſi, ut malint ſeſe alióſve extrema pati quàm Tranquillitati publicæ conſulere. Quod ipſum flammas ſeditionum bellorúmque dudum excitavit, queis *florentiſſimum*

mum hoc Regnum triplex, horribilibus concuſſum modis; perderentque ulteriùs atque ovile incenderent Chriſti, ipſæ in ſpeciem *Oves*, *Paſtores* ipſi, niſi *Proviſio Divina* per *Leges publicas earumque executricem obſervantiam*, *atque privata Monita conſiliáque pacifica* latè flagraturum Incendium averterent. Qualia quidem ad communem flammam extinguendam in hâc *Meditationum* quas vobis *VIRI HONORANDI* tranſmitto lacrymis precibuſque repletâ ſitulâ, poſt alios prævalentes, infirmus operarius offero, ut ſi quid ſcripto exemplóve poſſum, ab inimicante flammâ ad pacis lucem, à Diviſione Eccleſiæ ad ejuſdem unionem, averſos ſeparatóſque placidè deducam. *NEMO* utique inter Chriſtianos eſt, qui ſanctiſſimo pacis ſtudio ſe ferri nolit, quare qui corditùs illam deſiderat, quicquid obſtare poteſt ut quantocyùs removeat ipſius Conſcientiæ dictamine terribilique vindicis Dei ſententiâ tenetur.

Atque hoc nunc agunt in Germaniâ celeberrimi quique Theologi cum primis Reformati poſt elapſum ſeculum (quo nonniſi contentionum flammas Academiæ

Templaque efflabant) aliud nunc Tranquillitatis Paciſque luce ſerenatum majore quàm unquam propenſione inchoantes. Removent autem ex Eccleſiis ante omnia IGNEM PEREGRINUM, adeò ut quævis Politia primæ Reformationis ſuæ Gubernationem Eccleſiaſticam explosâ omni novitate conſervet. Sic omnia Regna Proteſtantium Epiſcopos, Principatus ſuos Superintendentes aut Inſpectores, Reſpublicæ Helveticæ Antiſtites Decanoſque habent, qui ſinguli iique perpetui ſub Magiſtratu Supremo res Sacras ad ædificationem publicam procurant. Adhibitâ interim prudentiâ ne Eccleſias cruciarias [cujuscemodi cætum initio Miniſterii mei, luſtrum integrum, quoaduſque in reſtitutâ Patriâ officium Eccleſiaſticum & Academicum demandaretur, in primariâ Urbe Germaniæ ante triginta annos direxeram] aut alias publicas Diſciplinæ diverſæ addictas condemnent, eorumve ignem fodiant.

Eccleſia verò Britannica præ multis tranſmarinis proprium pretioſumque nacta eſt Theſaurum *Fidei & Gubernationis antiquiſſimæ* ut mirer inveniri quenquam verbi

verbi Miniſtrum, verbi Paulini negligentem; (a) *O Timothee, depoſitum cuſtodi devitans profanas vocum novitates*; nec obſervantem priſci Patris Vincentii Lirinenſis Theodoſio coævi Peregrini nomine cluentis monitum Sanctum. (b) *Depoſitum cuſtodi, id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum, quod accepiſti non quod excogitaſti, rem non ingenii ſed doctrinæ non uſurpationis privatæ ſed publicæ traditionis, rem ad te productam, non à te prolatam in quâ non author debes eſſe ſed cuſtos non inſtitutor ſed ſectator non ducens, ſed ſequens.* Hoc depoſitum aliquantiſper familiare redditum, ſciolorum vanitas *novitatis* pruritu curioſula, perpetuáque inſtabilitate licentioſum vulgus contemnit, unde aliis ſubinde atque diſſimilibus Concionum diſputationum Scriptionúmque novitatibus inhiat, quod inter nonnullos Reformatos prorumpentibus crebrò Novitiis adeò invaluit ut nihil ipſis prius ſit, quàm novas Scripturæ explicationes, & anterioribus ſeculis inaudita contorti verbi interpretamenta, in-

(a) 1 Tim. 6. (b) *Vincent. Lir. cap.* 27.

ſuetum

ſuetum diſciplinæ plebeiæ modulum, extemporaneas longéque protenſas, nexûs ſenſûſque vacuas precum egeſtiones formare, reformare, atque ut faſtuoſæ dicam an faſtidioſæ cupidini allubeſcit rejicere, quæque antiquarunt antè, mox aliis induta formis poſtliminio repetere. Verùm (c) *Chriſti Eccleſia ſedula & cauta Depoſitorum apud ſe Dogmatum cuſtos nihil in iis unquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat aliena: ſed omni induſtriâ hoc unum ſtudet ut vetera fideliter ſapientérque tractando, ſi quà ſunt illa antiquitùs informata & inchoata accuret & poliat: ſi qua jam expreſſa & enucleata conſolidet firmet: ſi qua jam confirmata & definita cuſtodiat.*

Hoc primum. Dein Evangelicæ Pacis promotoribus Theologis id præprimis curæ eſt, ut FLAMMAS AFFECTUUM quîs Incentores flagrant in ipſis adeò ſcintillis ſopiant; potiſſimùm CONTENTIONIS ÆSTUM qui ſalutem publicam Eccleſiæ Communis deſtruit, Quâ de re Cl. Mai-

(c) *Idem cap.* 32.

fartus

ſartus Profeſſor Erfordienſis Auguſtanæ Confeſſioni addictus, ſimul Irenicus, Diſſert. de Conciliandâ Pace inter Eccleſias per Germaniam Evangelicas hoc monitum præbet. (d) *Ubi negotium talibus committitur viris qui malunt cum ſcandalo Eccleſiæ & jacturâ animarum ſuarum litigare, quàm gloriam externam & exiſtimationem apud homines amittere: ſi adhibeantur ab utraque parte Theologi qui malunt metu putativæ ignominiæ & imminutæ famæ in ſuis conceptis opinionibus hactenùs mordicùs defenſis* [quales utiquè ſunt de novitio Presbyterio] *permanere quàm æternam Chriſti veritatem* [quæ in perpetuâ ſemperque ſibi ſimili gubernatione omnium Eccleſiarum toto terrarum orbe inde ab Temporibus Apoſtolorum fulget] *quærere & apud impios profanóſque homines* [aut mitiùs loquendo apud ſocios ſuos atque vulgus] *in ſuſpitionem vel erroris vel ignorantiæ incurrere: ſi concurrant ab utráque parte Theologi qui tantum vincendi triumphandi laudémque reportandi ſtudio ad mutuos veniunt congreſſus & de nullâ re mi-*

(d) *Maiſart. de conc. Pace, ſ.* 16.

nùs

nùs quàm de Evangelio [non in hoc vel illo angulo per Schiſma, ſed quaquaverſus Regnum patet publicè atque uniformiter propagando] *ſunt ſolliciti impoſſibile eſt ut per hos firma pax & concordia inter Eccleſias Reformatas ſanciatur.*

Nimirum è contentionibus & rixoſis Diſputationum conflictibus nulla Eccleſiæ *Unitas* ſperanda, imò ne quidem *Veritas* ex illis emerget. Longè clariùs *Oculus* noſter vel aquæ profunda ventis areniſque non agitata, vel aëris ſublimia vaporibus intaminata; & *mentis* acies Veritatem flabellis fumis vaporibuſque contentioſarum Diſputationum vacuam evidentiùs penetrabit. Quare veritatis (quæ antiqua, ſimplicique intuitu conſpicua) ſyncerus Amator, (e) *non ſupra modum ſapiat ſed ſapiat ad ſobrietatem, nec elatè ſentiat ſed humilibus obſecundans prudens non ſit apud ſemetipſum.* Quàm vana ſit Ingenii adverſus Ingenium dimicatio, quàm multiformes mæandri pateant, impunè antagoniſtam diſtinctionum variarumque captionum artificio ſuperatum triumpha-

(e) Rom 12. 3, 16.

túmque

túmque fugandi, quinque luſtris in cathedrâ publicâ, continuatis Diſputationum palæſtris exercere Academicos ſolitus abundè ſum expertus. Adeò nihil tàm verum ac ſyncerum quin dubium & controverſum per Philoſophemeta atque ratiocinia noviter connexa, reique Theologicæ applicita reddi poſſit; atque ſubinde ejuſcemodi uno alterove (ceu malo aureo ad ſiſtendum Victoriæ curſum) objecto, non ſecùs atque in contentioſo foro novæ ſemper & diuturnæ nec deſituræ unquam moræ interjiciuntur. Unde poſt ultrò citróque factas concertationes, animarum vulnera, corporum ſtrages, non ſanctior eſt Lex, quàm Gentium Apoſtoli, *Si quis ſibi videtur aliquid ſcire is nondum quicquam novit ſicut oportet noſſe.*

Quare *qui in utrâque Britanniâ Doctrinâ Proteſtantium ſunt unanimes, qui Dominum agnoſcunt unum, fidem unam neque aliud fundamentum præter id quod poſitum eſt obtinent paritérque Eccleſiæ publicæ Dogmatibus fidei aſſentiuntur; ob Antiſtitium toto Chriſtianorum orbe inde ab antiquiſſimis ejus primordiis obſervatum, tantâ contentionum intemperie diſſidiorúmque animoſitate*

tate Eccleſiam Nationalem inquietant, Univerſæ Chriſtianitati ſcandalo ſunt, atque ſibimetipſis irreparabili quà præſenti quà futuro ni deſiſtant nocumento. Quin occaſionem præbent quamplurimis ſine ullo conſcientiæ remorſu ab illiſmet diſcidium faciendi, qui non finem faciunt ipſi ab Homopiſtis adeóque à ſeinvicem (ob ea quæ reliqui Proteſtantium non ſolùm inter licita ſed & Scripturæ ſacræ atque Antiquitati Eccleſiaſticæ ſymphona collocant) diſcedendi. Certè *nulla res æquè deterret homines ab Evangelio quàm diſcordia.* Quod ut Melanchthon jam ante ſeculum pronunciavit in Epiſtolâ ad Bucerum, ſic nimis quàm ſerò ſapimus Germani de Unitate Proteſtantium tandem ſolliciti: Quorum diuturnè protractas moras, Dogmatum varia diverſitas excuſare poterat; non Illorum qui ſe à Nationali Britannicâ ſive Angli ſint illi ſive Scoti avellunt. Ecquænam verò iſta humanorum affectuum intemperies aut judicii ſacri imbecillitas, unitatem Eccleſiæ reſpuere inter eaſdem Fidei aſſertiones, ob ea quæ Proteſtantibus reliquis ſunt communia? Averſantur Orientales Evangelicorum

ſyncre-

ſyncretiſmum ſollicitè quæſitum, eò quòd hi tam miſerè à ſeinvicem ſunt divulſi: nec eſt cur expectemus hæreſi infectos Eccleſiæ unitatem quæſituros quamdiu Vos eam fugitis, iiſdem à Vobis agnitis Fidei fundaminibus columniſque ſuffultam. Res tandem ipſa loquitur quàm latè ſacerrimus ille *Contentionis Ignis* flagret, idemq; ſemel excitatus ab Incentoribus Eccleſiam ac Politiam novis ſubinde flammis exurgentibus devaſtet, niſi in ipſis adeò ſcintillis authoritate publicâ reſtinguatur; ſiquidem omne (f) *Regnum diſſidens adverſus ſeſe vaſtatur: & omnis Urbs aut domus diſſidens adverſus ſeipſam non ſtabit.*

Tertius Ignis eſt PRÆSUMTIO PERFECTIONIS, qualis apud illos Auguſtini ævo fuit qui Eccleſiam Chriſti de toto terrarum Orbe periiſſe atque in Donati prole remanſiſſe jactitabant. Fidei Dogmata utique privatis pariter ſeparatorum cætibus atque publicis Eccleſiæ Nationalis communia ſunt, quin & ipſæ converſationis humanæ infirmitates atque nævi: quid igitur niſi perfectionis præ-

(f) Matth. 12, 25.

ſumptio

ſumptio ſuique amor cæcus inter privatorum cætuum anguſtias ſeparatos coarctat? Obtenditur *puriſſimæ veritatis Gloriæque Zelus*, verùm impoſſibile eſt ut internoſcatur ille, niſi in ſpeculo *veritatis Hiſtoricæ* Motuum Anglicorum, in quo ſui ſimillimos videbunt Separati: nimirum eos qui antehac ut *Superiores* fierent adverſus *Supremos Divinâ Gratiâ atque Providentiâ in Regno & Eccleſiâ conſtitutos* inſurrexerunt, concitarunt populos conculcarunt leges, Scotos cum Anglis & hos inter ſemetipſos commiſerunt; diſpiciantque tandem ſemoto complacentiæ propriæ velo, num hi tales in *Gloriam Dei* defixos, atque amore ejus flagrantes habuerint oculos? Aut num Deus quem ſe honorare imaginabantur, *Verus ille Deus ſit Pacis, Author Evangelii pacifici Univerſalis Eccleſiæ Archipœmen*?

Adversùs quem (ne gloriolæ humanæ uſque & uſque in Eccleſiam pugnaci & ab Adverſario Pacis excitatæ deſit prætextus) Gloria Divina hodiéque ab eorundam ſectatoribus modernis prætenditur. Magna utique vis primis animi noſtri conceptibus, tenaciſſimè hærent excitantque

tantque voluntatem ad æmulationem, inde contentiones, tandem bella. Imò tantam ſui Amor in animos noſtros poteſtatem ſumit, ut ogganire auſint ipſi Deo ſacris quos putant affectibus ſemel abrepti, ut cum Jonâ ſe rectè facere cenſeant, quòd uſque ad mortem accenſa ſit ira (g) ob ſucciſum ricinum, ſub quo umbram captare concupiſcebant.

Neque propriæ ſufficit præſumtioni ſemet abdicare, prioremque mentis deſtinationem relinquere, ſed & alienam ſuis Authoribus remit teretenemur. An propter unius alteriúſve hominis (qui privatis incitatus cauſis contra inſtitutum primitivæ Eccleſiæ novitium regimen effinxit, non orbi ſed Urbi ſuæ præſcribens) exiſtimationem, *Leges Publicas Regni*, Conformitatem Unionemque Sacram injungentes, Vir bonus violet, aut adverſus earundem *Executores* fidos, pius pruden ſque inimicitiam ſuſcipiat? Inclament Separati *Veritas* eſt quam defenſamus! At quæ Veritas? num in ſacro Codice certis claris atque evidentibus verbis expreſſa, ſine quo

(g) Jona 4. 9.

nihil utique innovandum aut movendum? Num tot piis sanctisque Viris atque doctis in utrâque Britanniâ extra controversiam derelicta, non contradicta? num Transmarinis Reformatis explorata & agnita, nunquid à potissimâ illorum parte rejecta? quare *divortium hoc* ob Veritatem præsumtam non est in luce Veritatis sed in fumo opiniònum ut in loco obscuro atque tenebricoso. (h) *Quicunque*, inquit Augustinus, *de ipso capite Scripturis consentiunt & Unitati Ecclesiæ non communicant non sunt in Ecclesiâ, quia de Christi corpore quod est Ecclesia ipsius Christi testificatione dissentiunt.*

Quòd siquis paulò liberiùs agere & controversa tranquillo animo veréque Christiano, sine litium tantopere excrescentium libramine [cui vix centesimus inter magnos medioxumos & imos, doctos indoctos, peculiaribus utique suis districtos negotiis, sufficere aut sibi aliisve satisfacere quiverit] rixosis litigatoribus mutuas contentiones relinquendo propriæ saluti prospicere, malit; priscos illos &

(h) *Augustinus Tomo 7. de Unitate Ecclesiæ, cap. 4. pag.* 134.

extra

extra partes conſtitutos Patres, *Cyprianum* graviſſimè laceſſitum, ejuſque (ob ſervatam cum ipſis ſuis adverſariis Unitatem Eccleſiaſticam) præcipuum Encomiaſten *Auguſtinum* ad imitandum ſibi proponat, revocetque in memoriam quod Venerandus D. Davenantius ſentit. (i) *Fretus ſanctiſſimi Martyris exemplo & Auguſtini hâc de re judicio haud dubitem affirmare inter Germanicarum Eccleſiarum Doctores illos qui falluntur & tamen communionem fraternam cum aliis retinere parati ſunt, eſſe à Schiſmate coram Deo magis excuſatos, quàm qui veras opiniones in hiſce controverſiis tuentur, & mutuam interim communionem cum aliis Eccleſiis eam deſiderantibus aſpernantur. Obtento igitur conſenſu in fundamentalibus quamvis de cætero Doctores plenè ac perfectè convenire non poſſunt, in hoc tamen omnes conveniant ut uno ore ac corde conclament; Nulla ſalus bello pacem te poſcimus omnes.*

Quod conſilium ab eximio Anglo eodemque Irenico *Germanis*, quà Lutheranis quà Reformatis circa interiora fidei Dog-

(i) *D. Davenantius Sentent. de pace Eccleſiaſticâ, p.* 31.

mata concertantibus ſuggeſtum, utinam apud ipſos *Britannos* obtineret, qui ob externam rituum gubernationiſque formam, ſeparatione ſuâ Eccleſiam Nationalem ſupra Chriſtum ejuſque Verbum fundatam vel deſerunt vel impugnant.

In hâc ipſorum ſive deſertione ſive oppugnatione imperium *Affectûs* eminere patet, non admittens *Judicium* quod evaneſcit Pathematum dominio fugatum, dum noſtram qualemcunque (quia noſtra jam facta) intimis ſenſibus infixam prævalere volumus ſententiam. Imò eandem ſemel conceptam, ceu colorem intentionalem & adſcititium ipſis Scripturæ verbis affingimus: *Veritatis interim Eccleſiaſtica clariſſimo Lumine ſive Patrum ſive Hiſtoricorum*, procul amoto vel penitùs extincto. (k) *Nimis autem amando ſcientiam ſuam vel invidendo melioribus, uſque ad præcidendæ Communionis, & condendi Schiſmatis vel Hæreſis Sacrilegium pervenire* Auguſtino *Diabolica eſt præſumptio.*

Utique Apoſtolorum ævo Eccleſias à ſeinvicem ſeparationem feciſſe inauditum

(k) *Auguſtinus tomo 7. de Bapt. contra Donatiſtas, l. 2. c. 5. p. 40.*

erat,

erat, nec paſſi eam fuiſſent *Epiſcopi Unitatis Eccleſiaſticæ Conſervatores:* Hodie verò non equidem ob profanam converſationem Vitiis deformatam, Cætuum fit abductio, ſed ſolam *Scientiæ opinionem*, quam in ſuas partes Scripturam variè pertrahendo plurimi affectant, aliiſque in ſui ſequelam inſtillant; mandato interim Divino de *Charitate Chriſtianâ*, *Communione Sanctorum*, *Unitate Eccleſiæ*, *Schiſmatum fugâ*; primùm per clandeſtinam inde publicam ſeparationem ſpreto, aut elatâ manu per ſeditiones mutuaſque cædes violato.

Sic PEREGRINUS aliunde importatus *IGNIS* primus inter nocivos Eccleſiæ Britannicæ fuit, è quo enatus *INTESTINUS CONTENTIOSITATIS & PRÆSUMTIONIS.* Verùm ut latè flagraret ac flammæ in trino diſpergerentur Regno FASCES CONFOEDERATIONIS WESTMONASTERIENSIS comportandi videbantur.

Eadem prorſus Belli Sacri Germanici Tragœdia. *Confeſſio Auguſtana* omnibus Proteſtantibus ſufficiebat primitùs, ceu communis fidei regula normaque perfecta, quamprimùm autem paucorum conſpira-

tione *Formula Concordiæ* prognata eſt, interque plures diſperſa, Schiſma inſimul factum, & nunc multis annis in tollendo illo & reſtituendâ Unione priſtinâ pii laborant. Quin ſufficiebant XXXIX Articuli Britannici ad Fidem, ad Salutem, quicquid ſuperaddebatur Schiſmatis origo erat & incrementum; inde novæ ſubinde Gubernaminum facies: in *Politiâ* Popularis, Militaris, Dictatoria, Regiæ tandem Majeſtatis Uſurpatrix. Nocturnæ ſimul illuxere faces in *Eccleſiâ* ſeducentes per devia Independentium Libertinorum Motitantium, extremè tandem Profanorum.

In fœdus coire adverſus *Regem & Legem* omnium Gentium conſenſu perjurium eſt adeóque diſſolvendum illicò. Eſto perſuaſus æger à perſonato Medico ut interpoſito juramento fidem obſtringat, aſſumturum ſe pharmacum procurandæ ſalutis prætextu oblatum, quamprimùm cognovit toxicum eſſe, de Juramento minimè ſollicitus vel removet illud, vel hauſtum evomit: Ita poſt tot mala edoctus imò ceu Syngraphâ ipſius Dei cælitùs reſtituentis *AUGUSTISSIMUM REGEM & ECCLESIAM INSTITUTIONE AC SUCCESSIVA*

SIVA GUBERNATIONE DOGMATIBUS RITIBUSQUE ANTIQUISSIMAM; confirmatus Britannus omnis, id solùm se potuisse censet quod jure potuit. Injuriæ autem jurare illationem aut Juramentum pronunciare vel subscribere, quod conceptum est adversus eum, in quem juranti nullum jus competit, Regnatorem nimirum; (qui juxta Leges Regni conventione nullâ solubiles jus in ipsum habet pejerantem) id verò Perjurium est quamprimùm innotuit illegaliter Juranti sine morâ dissolvendum: Adeò ut si (mutato per Civile Bellum legitimo statu) interruptio Legum facta fuerit, aut Ligamen alienum intervenerit; restitutis suo pristino vigori Legibus, summi Magistratûs proclamatione publicatâ, jure ipsissimo divino humanoque discissum sit & sublatum, legibus Regni adversans quodcunque falsò sic dictum Juramentum. Qui vero pervicaciùs vinculo sese prorsùs illegitimo ulteriùs vult obstrictum, Leges propriæ Nationis, imò Gentium omnium, & publicas & antiquas & irreptitii fœderis abrogatorias, Divinas tandem de obedientiâ Superiori Potestati præstandâ, præfractè dis-

solvit; atque iniquitatis & condemnationis Vinculis eò arctiùs adeóque Perjurio seditioso & Sanguinario, cunctis in Orbe populis cumprimis Evangelicis [Authoritatem Magistratûs supremam inter Reformationis principia collocantibus] extremè horrendo, Conscientiam peccaminosam eò iniquiùs constringit, quò diutiùs illigatam eandem sustinet.

Verùm illius Fœderis dudùm intermortui spinosos flammantésque fasces cum suis vinculis ita combustos spero, ut nullus *Ignis peregrinus* aut sequiorum *Affectuum Intestinus* scintillis favillisve Britanniam inflammaturus sit temporibus futuris.

Ad vos autem *VIRI IN CHRISTO VENERANDI* hæc scribo, non quòd ea quæ notavi notaque vobis sunt apprimè, in memoriam revocanda imprudens existimem; sed ut sollicitus de *Pace Ecclesiæ* atque anxius, *praxin* plærisque promovendæ mecum Unitatis Britannicæ non adeò cordi esse vel demonstrem vel deplorem, atque in sinum vestrum [qui ad averruncanda ex discidiis sacris oriunda mala plurimùm potestis] hâc animi teneritudine, ut per Vos duriora pectora emolliantur

liantur effundam. Dum Germania bellis ardet, virgulâ Divinâ huc deductus, à laboribus publicis vocatus, calamitatum publicarum cauſas nexuſque meditor, nullis veſtratium aliorumve negotiis implicitus, unico Humanitatis ſive Jure ſive Officio, Communique Theologi Chriſtiani Vocatione, nullâ Juramenti ullius fide obſtrictus aut devinctus; heîc loci peregrinus atque hoſpes *Scotorum extorrium* infortuniô, (quod affectuum adverſus Eccleſiæ Regnique leges prædominium fortean accerſivit) *aliorumque ſeparatorum averſione* commotus, tantò confidentiûs ſcribo quantò ferventiùs Sancto Unitatis Amore me teneri ſentio.

Cumprimis verò tempore hôc ipſo nil alienum ſuſcipio Alienigena, ſi è Patriâ ſuâ, Zelo non cum Scientiâ Deo placenti abreptos, alioſque omnes Nationali Eccleſiâ abalienatos ad eandem reducere, Divini nutûs Gratiam apprecatus inſtituo. Excitat commune Chriſtianorum qui ſibi nequeunt eſſe Peregrini (utpote ejuſdem Solymæ cives) *officium* pium, *Quærere & Sectari pacem*, & illam quidem cum omnibus & quantum in nobis eſt. Præſertim cum

cum *tempora* ſunt difficilia, diſſidiis contentionibuſque ubivis obnoxia; Charitas Chriſtianâ, ſeparatione abſtractos ad unitatem reducere, juxta Servatoris mandatum, præcipit. Nihil utique opportunius quàm in medio duello pugnæ diremtorem, aut ſi mavultis deprecatorem, Paciſve legatum intervenire. Et ut hoc legati nomen inter ſcribendum excidit, ità nullam eâpropter ſufferam invidiam, ſi XXX annis Evangelii annunciator quò magis vitæ terminus ad occaſum ceu deſtinatum ſibi centrum vergit, concitatior ſim in ſuadendâ pace, atque inſtem (l) *urgeam arguam horter imò & objurgem cum lenitate & doctrinâ.* S. Pauli obteſtatione, quam *in conſpectu Dei & Domini Jeſu Chriſti qui judicaturus eſt vivos & mortuos in illuſtri ſuo adventu* facit, commotus & perculſus.

Nimirum *Vocatio* quæ mihi cum omnibus ejuſdem Fidei aſſertoribus *communis*, atque inſuper *peculiaris Eccleſiaſtica*, promovendæ Unitatis ſacræ hortamenta præbet. Illa quidem omnibus univerſim Evangelicis,

(l) 2 Tim. 4. 1. 2.

hæc peculiari quodam modo ipſis ſymmyſtis. Quòd ſi arctior ad curandam pacem ſacram adſtrictio requiratur, fuerit illa ſanè Doctoratûs Theologici quo ante annos $\overline{XX}$ ſolemni Sacramento Univerſitas Heidelbergenſis me fortiùs Eccleſiæ Univerſæ devinciebat. Sive igitur vocationem Chriſtianam in Eccleſiaſticâ reſpicere lubeat, ſive hanc in Academicâ, aut alterutram in utráque, triplex iſte funiculus totus Amoris ſacri eſt, qui ſeparatos ad Eccleſiæ Unitatem reducere, placidóque nexu illigare intentus eſt. Quòd ſi quis amicè duci patiatur, Pacis ille filius erit, ſi reſpuat tantâ pectoris teneritudine oblata ſalus ad me redibit.

Dum verò pro ſalute Publicâ Votum Deo jugiter nuncupo, media inter ſuſpiria *Meditationes iſtæ* quas Vobis *VIRI HONORATISSIMI* tranſmitto ſunt conceptæ. Nimirum ab eo veniunt, qui ſub Deo ſibi ſoli relictus, dum Filium unicum è Patriæ flammis in hanc Inſulam deduxit, illicò reverſurus, adversâ corporis infirmitate perculſus diſtinetur: ut redeundi publiciſque invitationibus tam Univerſi tatis Heidelbergenſis quàm Senatûs Eccleſiaſtici

ſiaſtici honorificis, ad labores Academicos atque ſacros porrò continuandos ſubinde repetitis, ſatisfaciendi ſpem omnem præciſam ſentiat. Quare quod publicæ Vocis Officio præſtare non datur, id quidem ſcriptis juxta modicam immeritamque Divinæ Gratiæ menſuram expedire, dum vita ſupereſt pertendit. Cujus inſtituti incipium *Meditationes iſtæ* exhibent. E quibus nemo expectet litigioſam ſcientiam, nec iis inferat ſequiorem affectum, ſed roget mecum ſupplici prece Bonorum omnium Largitorem, ut Spiritûs ſui luce, quæ eſt Sanctus Unitatis Amor, animum irradiare gratioſè velit, ut (m) *idem loquamur omnes & non ſint inter nos diſſidia ſed ſimus compacti eadem mente eademque ſententiâ.* Neque eſt ut ſeparatus à Schiſmatis labe, cujus nomen abhorret, ſe immunem putet. Qui dirimit Unitatem atque ab *Eccleſiâ publicâ fidem conſervante*, ſe ſuoſve Auditores divellit, Viris Apoſtolicis Patribuſque olim hodieque Proteſtantibus, exoſi Schiſmatis reus habetur. Quod ſi talis non ſit, Schiſmaticus non fuit olim

(m) 1 Cor. 11. 10, 11.

Dona-

Donatiſta, vel Manichæus, nec noſtro ſeculo Mennonita vel Motitator. Reformatorum publicum hoc effatum eſt, diſputando etiam excuſſum, (n) *Non mereri nomen Schiſmaticorum præterquam illos, qui vel propter diſſenſum non fundamentalem in dogmatis licet fundamentalibus, ortum ex diſcrepantiâ methodi, vel propter Eccleſiaſticæ Diſciplinæ varietatem, vel denique propter mores receptos ex libertate Chriſtianâ tolerabiles, abrumpunt ſacrorum communionem cum Eccleſiâ fundamentum profeſsâ, quam potuiſſent per Conſcientiæ integritatem ſervare, in Doctrinâ Regimine & Cultu ſilenter acquieſcentes.* Sapienter ſuadet Germanis Eruditiſſimus Irenicus Anglus Unitatem, eâ ratione quæ longè fortiùs Britannos ad eandem Eccleſiam ducit. (o) *Eccleſiæ Saxonicæ Helveticæ aliæque, quæ ſive hiſce ſive illis ad ſtipulantur, agnoſcunt ſe fraternam cum hâc Anglicanâ Scoticáque habere & retinere velle (Communionem)—ac fraternam &*

(n) *Diſquiſitio Theologica Heidelbergæ, anno 68. publicata de diſſidio & reconciliatione partium in Eccleſiâ Chriſtianâ, ſect. 15. pag. 20.*

(o) *D. Davenantius Sent. de pace Eccleſ. pag. 45. edit. Amſtelod.*

Sacro-

Sacroſanctam nos habere cum illis Communionem proteſtamur. Si autem ipſi pariter ſunt ergâ nos animati quâ æquitate Germanicæ Eccleſiæ [adeóque Anglica Scoticaque] *ſeſe invicem privant illâ fraternâ communione quam cum exteris retinere non formidant. Quod igitur Moſes compugnantibus Iſraelitis olim dixit, Id Germanis Eccleſiis* [Anglicæ pariter Scoticæque] *inter ſe digladiantibus verè dici poteſt, & verè refelli non poteſt;* (p) *Fratres eſtis Vos cur alii alios injuriâ afficitis.*

Quòd ſi Gallicanæ Eccleſiæ Paſtores, quando de Schiſmate Lutheranos inter atque Reformatos tollendo ſententiam ſuam promunt, audire adlubeſcat, audiantur ſanè & illi. (q) *Quod pertinet* inquiunt *ad ritus quibus Eccleſiæ cultus ac Diſciplina continentur, ſuos unicuique parti relinquendos putamus neque quicquam hoc in genere movendum.* Nimirum Saxo & Wurtenbergicus, Helvetius & Britannus, quilibet ſuos ſervet & obſervet priſcos conſuetoſque ritus, retineatque Gubernamen antiquum.

(p) Act. 7. 26. (q) *De pace Eccleſiaſticâ Sententiæ quatuor, quarum poſtrema Paſtorum Eccleſiæ in Galliâ. pag.* 90.

Neque

Neque heîc scrupulosam paucorum pluriumve Conscientiam quis objectet, aut defæcatiorem quorundam de hisce scientiam aut opinationem, purioremve ut appellant fidem. (r) *Quid prodest tandem*, ut cum Augustino loquar, *homini vel sana fides vel sanum fortasse solum fidei Sacramentum, ubi lethali vulnere Schismatis peremta est sanitas Charitatis:* Idem diviniùs testante Apostolo, (s) *Si habeam omnem fidem ita ut montes transferam Charitatem verò non habeam nihil sum.* Verè in Christo radicati adeóque visibili ejus publicæque Ecclesiæ juncti ceu ejusdem arboris rami, eádem charitatis animâ vegent. Decipit hoc contemtioso tempore mediante Schismate, Charitatis divinæ humaniq; generis inimicus pugnaces Demagogos, ut sub larvâ fidei id est curiosarum quæstionum minimè fundamentalium, Fidem veram vivamque in Christum Jesum subducant: Fides enim vera atque salvifica in Charitate est efficax, quæ (t) *iram cohibet, benigna est, non invidet, non agit perperam, non*

(r) *August. de Bapt. contra Donatum, l.* 1. *c.* 8. *p.* 35.
(s) 1 Cor. 13. 2. (t) 1 Cor. 13. 4, 5, 6, 7, 13.

inflatur. Non agit indecore non quærit quæ ſua ſunt, non exacerbatur non cogitat malum, non gaudet injuſtitiâ, gratulatur autem Veritati. Omnia tegit omnia credit omnia ſperat omnia ſuſtinet ——— Nunc verò manet Fides ſpes Charitas, tria hæc: maximus autem harum Charitas.

Abſit verò ut *Verbi Miniſter* vel in ſemetipſo vel aliis Fidem [quæ aſſenſus eſt Evangelii de Chriſto, non Theoria problematum aut ſubtilitatum Theologicarum] à Charitate dirimat, ſiquidem hæc divulſio Sciſſionum omnium origo eſt, hinc fit ut ſegreges ab Eccleſia publicâ cætus inſtituat Sectarius, quam in Chriſto tamen fundatam inficiari nequit. Num verò fas eſt, ut exurgat membrum in Corpus totum? aut particularis cogatur cætus, qui Eccleſiam Nationalem impugnet, atque interventu ſeparationis judicium de majore ferat minor? animo ſi non ipſo facto damnans excommunicanſque *Eccleſiam, quæ pars eſt Catholicæ* omnium Chriſtianorum, Eccleſias orbe toto diffuſas Unitate Fidei in ſe complexantis.

Non equidem vel rationi vel legibus Divinis humaníſque adverſatur Executio Decre-

Decretorum queis Civitate excludantur, qui Urbem novam in Veteri legaliter normatâ, juxta peregrinam formam invito Magistratu erigere moliuntur. Non mirum si Communione Civitatis excludantur, qui quantum in ipsorum viribus excommunicant Civitatem sacram, sive Ecclesiam publicam, in Communione Universæ Ecclesiæ imo ipsius adeò Protestantis comprehensam. Neque legitima separationis causa unquam esse poterit quòd alibi introductus peculiaris Disciplinæ precumve modulus. Ecquis enim Pater domi suæ filium ferat dyscolum, obstrepentem alias quasdam domos aliter regi. Invisant vero Ecclesiæ Nationalis, Matris suæ Spretores immorigeri, Ecclesias Helveticas, non apparebit Presbyterii novitas, cùm tamen illæ habeantur vel maximè puræ. Palatinam adeant, quæ ob Catechesin & Doctores suos plærarumque aliarum veneranda Mater est. Hæc Senatum Ecclesiasticum inde à primâ ejus origine agnoscit, è Consiliariis SERENISSIMI SUI PRINCIPIS ELECTORIS, cui peculiari fidelitatis circa sacra juramento sunt obstricti, perpetuo tenore constitutum; atque hi juxta Domini sui nutum

vocant ordinant removent Paſtores omniaque Eccleſiaſtici Gubernaminis munia expediunt, ne muſſitante quidem ad iſtam Regiminis formam Presbyterio. Cujus habendi licentia ſingulis annis ante feſtum Nativitatis Chriſti, libello ſupplici petenda, ut & Aſſeſſorum denominatorum conceſſio: quâ impetratâ eidem nefas eſt rebus politicis ſeſe immiſcere aut verbum facere ullum de regendâ Eccleſiâ vel Urbe, quin nec privatorum ſcandala cenſere, ſed deferre tantùm licet, ut diſcutiantur ab Ordinario Magiſtratu, Aulico, Cancellario, Academico, Civico, vel Rurali qui etiam ſoli mulctandi poteſtatem habent & punitos quoſdam, ad pœnitendum inſuper coram Miniſtris & eorumq; Aſſeſſoribus ablegant: adeò ut ſi conferatur Seniorum conſeſſus iſte (cujus XV annis in trium Collegarum conſortio Præſidem ipſus egi) cum prætenſo Separatorum Presbyterio nonniſi nomine convenire pateat. Quòd ſi Miniſtrorum quiſpiam in Territorio Palatino aut Helvetico vel quocunque alio Reformato ſeparationem ab Eccleſiâ publicâ moliretur, Officio Salarióque actutùm privatus, ſed & pervicax pœnis graviſſimis

viſſimis, coerceretur. Neque enim ullo Religionis prætextu ſtatum in ſtatu erigi, per leges ſalutemque publicam pati poteſt quicunque tandem Eccleſiaſtico aut Civili præeſt Gubernamini. Quin omnium ferventiſſimi ſunt (legibus licet haud certis, ſed præcipitatis plebeiiſque impulſi affectibus) Novatores ipſi quamprimùm nova ſua ſtabiliverunt, ne quis noviore aliquo invento priora peſſundet placita. Obnituntur Diſputationum Concionum Legum Pœnarumque acerbitate, ne quæ ſtatuerint ipſi nova, recentiores fortean antiquent Cenſores. Quæ cum ita ſint ſui ſuarumque legum Conſervationem ſollicitè curat *Magiſtratus cujuſvis Prudentia gubernatrix*; non ſecus atque *Patris familias ſolertia domeſtica*, illos qui non juxta communem regulam, mores ſuos vitamque componunt, uti res poſcit corrigens corripiens dimittens aut ejiciens.

Atque in hiſce *Dei voluntatem* & expreſſum beneplacitum *Conſervatores Unitatis Eccleſiaſticæ* ſequi & exequi indubium. Separationem verò Paſtorum à Paſtoribus [niſi Eccleſiæ fundamenta ſubvertentibus, ut illa Ovile Chriſti eſſe deſinat,

ipsi lupi fiant] nemo extra partes constitutus censuerit. Magna equidem adversus Supremum Pastorem ovium rebellio est, (u) *quâ non permittitur Filium Dei possidere promissam, à Deo hæreditatem, sed Ecclesiam ejus ubi ipsi volunt collocare, ubi ipsi nolunt rursus exterminare.*

Quòd si Prudentioribus Evangelicis illacrymabile parit scandalum Britannorum quorundam ab Ecclesiâ Nationali Schisma, si tot ex illo, pace pariter atque bello damna, hostium gaudia, pacificorum suspiria, Ecclesiæ ipsius atque Politiæ nefanda confusio dudum exorta, nunquam finitur; sed novi animorum æstus, ceu in Oceano per diversa rapiunt ejusdem cæteroquin fidei Assertores; nil consultius quàm procellosum Schismatis derelinquere æstuarium, atque *Unitatis Sacra* quantocyùs accipi portu, eò sacratiori, quò à turbis motibusque & procellis insuperabilium superbarumque contentionum est securior. Consensus in omnibus fidei articulis fundamentalibus utrinque plenus est ac integer: ejusdem Ecclesiæ filii volunt haberi

(u) *Optatus l. 2.*

liti-

litigantes, juxta fidem scilicet omnibus Christianis omni ævo communem. Quare nihil omnino restat, quàm ut Nationalis Ecclesiæ, eandem servantis fidem quilibet Regni civis permaneat membrum, legibusque patriis quoad externam simul in Ecclesiâ conversationem, morigerum se omninò præstet. Sanè ex ipso Separatorum sensu, *Quæ primitivæ Ecclesiæ non fuerunt fundamentalia nec nostro tempore fieri possunt.* Conscientiæ proin nostræ adyto recondamus hoc Apophthegma, *Temerarium atque impium est Ecclesiæ veræ unitatem discindere.*

Quis verò es ò Sejuncte, (w) *Cur condemnas fratrem tuum? aut etiam tu cur pro nihilo habes fratrem tuum? eum tristitiâ afficiens* [propter externa cum fide consistentia] *non jam secundum charitatem ambulas.* Absit ut præceptò Servatoris nostri de Unitate ac Charitate fidelium, ut monitis Apostolicis Ecclesiarum praxi sanæ, Rationi, Legibus Regis atque Regni, Theologorum votis, Pacificorum sollicitudini gemitibus desideriis, conjunctionique San-

(w) Rom. 5. 10, 15.

ctorum, ædificationi tandem Corporis Christi quam ἀκώλυτοι omnes & εὐπρόσδεκτοι impediunt, ulteriùs quisquam adversetur, scrupulosæ Conscientiæ [sed quæ sine Correctionis aut Instructionis desiderio est] prætextu separationem continuans. Qui segreges cætus constituunt abhorrent à Communione Ecclesiæ publicæ, & cùm Auditoribus idem faciendi sunt Authores, eô ipsô in Deum Christumque ejus & Ecclesiam peccant propalam, & coram toto mundo, quòd intra Congregationum quas fecere limites Ecclesiam coarctare præsumunt. Quærimus utique similiter cum Augustino Donatistas reducturo causam, (x) *quâ factum est ut Christus amitteret hæreditatem suam per orbem terrarum* [ejusq; adeò magnam partem Orbem Britannicum] *diffusam? ut sciamus quomodo fieri possit ut Ecclesiam suam Christus de toto Orbe perderet, & in vobis solis habere cæperit. Vestrum enim est hæc ostendere nam nobis sufficit ad causam nostram quòd compleri Prophetiam & Scripturas sanctas per orbem terrarum videmus* —— (y) *Si iniquitas est*

(x) *Augustin. Epist.* 161. (y) *Epist.* 164.

orbem

orbem Christianum [Britannicum] *damnare inauditum, vel quia non audivit quæ vos audivistis, vel quia non ei probatum est quod temerè credidistis aut sine certo documento accusastis* ——— *quæ tanta est perversitas amplecti suam iniquitatem & Potestatum accusare severitatem? At enim & malos Christianos non licet persequi. Esto non liceat: Sed nunquid hoc Potestatibus ad hoc ipsum ordinatis fas est objicere? An Apostolum delebimus?* ——— *Sed illi Principes quâlibet occasione cognoscentes vestri Schismatis nefas constituunt adversus vos pro suâ solicitudine ac Potestate quod volunt, non enim frustra gladium portant. Dei enim Ministri sunt vindices in iram in eos qui malè agunt.* Hæc Augustinus adversus sui ævi Separatos, quorum subsequentiumque Schismata viam Mahometi straverunt in Orientem, cujus posteri perfidiæ Mahomedanæ Duces [Deo Unitatis Christianæ dissolutionem justo judicio vindicante] Ecclesiam cum ipsis Sectariis jugo subjecerunt Turcico; cujus horrendæ miseriæ primaria causa, Cætuum Christianorum nomine gloriantium, *adversus Principes Præsulesque suos*

inſurgentium, per varias ſectas *facta divulſio*. Non aliter ac hodie *per Schiſmata*, communi Chriſtianorum hoſti, ſanguinaria porta Ottomanica in Occidentem ſit aperta.

Quare abſit ut diſcidiis conturbatâ Eccleſiâ diviſus quiſquam eſſe malit, communemque generis humani Adverſarium, irâ contemtu odioque æſtuans ſequi; quàm ſub Deo atque Servatore, charitatis paciſque promulgatore ac vindice, Unitatem Spiritûs Ordiniſque Sancti ſervare, ac è domo militantium in eam quæ Beatorum eſt transferri. Quin reapſe factiſque evidentibus obediamus omnes ſingulique Soſpitatoris legi, (z) *Pacem habetote inter vosmetipſos*. Is uti novum ſanxit nobis fœdus cum Deo in Unitate Eccleſiæ, cui mediante (a) *Charitate ceu perfectionis connexu* quàm arctiſſimè illigandi ſunt verè Chriſtiani: Ita novum excellens nimirum atque pretioſum pacis mandatum injunxit. (b) *Novum præceptum do vobis, ut alii alios diligatis: ſicut dilexi vos ut vos etiam diligatis alii alios.*

(z) Mar. 9. 50. (a) Col. 3. 14. (b) Joh. 13. 34.

Ex

Ex hoc omnes cognoſcunt vos eſſe diſcipulos meos, ſi charitatem habueritis alii in alios. Tandem voluntatis perpetuæ Teſtamentum Idem pro nobis victima factus condidit, (c) *Pacem relinquo vobis pacem illam meam do vobis.* Nempe igitur (d) *quæ ad pacem faciunt ſectemur omnes & quæ ad mutuam ædificationem.* (e) *In pace agite & Deus charitatis ac pacis erit vobiſcum.* (f) *Quin pax illa Dei ſit gubernatrix in cordibus veſtris ad quam & vocati eſtis in unum corpus.* Hanc pacem poſt tanta Cathedrarum opprobramenta, atque in templis fulgurantia anathemata, ſectantur Tranſmarini tandem ſuiſmet poſt ſeculum malis edocti. Dudum Cœli Eccleſiæque ſocietatem ſibi invicem denegantes, nunc demum perſentiſcunt *non per diſſidia ſed Unitatem Eccleſiæ Amorenque Chriſtianum ſive Paſtores ſive oves Animæ tranquillitatem in terrâ ſempiternamque Beatitudinem in cœlo conſequuturos.* Cujus deſiderio, utinam præ conſuetis diſſenſionibus atque rixis potiſſimum teneren-

(c) Joh. 14. 27. (d) Rom. 14. 19. (e) 2 Cor. 13. 11. (f) Col. 3. 15.

tur

tur *Literarum Sacrarum Interpretes*, tàm Studioſorum quam Populi animos informantes. Verùm Gentilis ille veſter *Cl. Duræus* Irenophilus inſignis, penetravit in profundam lateque patentem abyſſum, è quâ Schiſmatum ignes exſurgunt Germanicum Britannicumque Orbem inflammantes. Ita ille in Hypomnemate Negotiationis pacificæ [quod è Haſſiâ nobis Heidelbergæ Profeſſoribus ante aliquot annos ut Conſilium auxiliumque noſtrum proliceret tranſmiſit] in Schiſmatum continuatorum cauſas inquirit hiſce verbis. (g) *Quis mihi monſtrare poteſt cætus duos inter omes cætera ejuſdem Confeſſionis conſortes in quibus Evangelicæ Communionis conſilia ad publicam veri Chriſtianiſmi promotionem inſtituta ſuſcipiantur? Utinam inter ejuſdem cætus Miniſtros & ejuſdem Academiæ Profeſſores inveniri poſſet ſincerus in Chriſtianâ charitate ſine partiali ſtudio affectus. Sed ubique fermè proh dolor aut manifeſtè notum inter Collegas eſt diſſidium, aut occultum in Conſiliis de eodem inſtituto divortium, aut*

(g) *Duræus in Hypomnemate*, pag. 4.

frigidus

frigidus in conatu inæqualis & inconſtans concurſus: & propter diffidentias gliſcenteſque de alienis intentionibus ſuſpitiones nihil ferè ſimpliciter nihil liberè nihil conjunctim prompte & cum pio Zelo fieri ſolet. Hinc *Naturæ humanæ obligatio*, communiſque *Vocationis Chriſtianæ* & ſpecialis illa *Theologica* ſolvitur, ac ne deſit Schiſmatico cuiquam vel patrocinium vel clientela, hoc agitur, ut incautus populus purioris alicujus ſcientiæ prætextu in ſeparationis veniat conſortium novelluſque exiſtat cætus.

O ſacerrimum eorum vel factum vel defectus, qui ad Miniſterium Pacis ordinati factionum ſunt flabella! O morbum verè ſacrum & gangrænam quæ membrum depaſcitur ut abſumatur corpus! ſiccine ut libet ita licet ſejungi ab iis qui Chriſto communi Soſpitatori per fidem atque charitatem ſunt conjuncti.

Olim qui ejuſdem Eccleſiæ Iſraeliticæ membra erant *FRATRES* nominabantur, quòd primùm *Natura* vel ejus æmula *Adoptio* eos jungeret in eádem terrâ, inde uniformis *Religio* in Templo Solymæo, tandem *unio cum* ipſo in cœlis *Deo*.

Hæc

Hæc in typo extitere, amplior est Ecclesia *CHRISTI* quàm ut una regione concludatur, quin diffusa est in Universo, ejusque pars est Nationalis Britannica, in quâ primùm Fratres estis Naturâ, gentis ejusdem populus, inde Vocatione sactâ unius Ecclesiæ Britannicæ veræ Christianæ fratres, & per illam Christo uniti Vocatione mysticâ, quâ equidem prior quæ communis & externa perficitur. Britannus Britanno ceu gentili suo Frater est dictante *Naturali lege*, huic in *Societati Civili* ad Regni promovendum Bonum obstrictus tenetur.

Sic Ecclesiæ ejusdem regnique membrum adeoque juxta *communis vocationis Gratiam* Frater est. Vinculum autem fraternitatis dirimit qui se ab Ecclesiâ publicâ divellit. At verò ut non est penes populare jus gentilitium conterraneo suo inficiari, infringere propriove arbitratu tollere; ita nec communi vocatione Christianâ frater, a Communione communis Ecclesiæ Nationalis sese divellere potest. Necessitudinem Naturæ facto privato tollentem ceu piaculum Civitatis aversantur omnes; & quis pius ferat necessitudinem

quam

quam communis vocationis Gratia divinitùs nobis in ejusdem populi Ecclesiâ conciliavit ausu peculiari propriove dissecantem. Deplorandus utique hâc nostrâ ætate multorum qui fidei Reformatæ Assertores haberi volunt, epidemicus ille morbus singulis exitiosus, ab ejusdem fidei Ecclesiâ divortium facere. Cùm illi demum *Fidei Spei Charitatis Unione cum Ecclesiâ ejusque Capite* sint juncti qui has virtutes, Domum Dei simul adeundo Ecclesiæ Nationalis membra existentes, sermone, exemplo, pietatis officio coram Deo ejusque populo demonstrant; (h) *Cum animi submissione & lenitate, cum iræ cohibitione sufferentes alii alios.*

Præprimis verò illi qui Ecclesiæ veri cupiunt esse *Ministri*, ut separationem omnem procul â se habeant, atque ab aliis amoliantur, ob singularem vocationem singulari Conscientiæ officio tenentur; ne abjectâ Pacis Evangelicæ tubâ, odiorum dissidiorumque tympanum pulsent, sed propriæ aliorumque provideant saluti, cum tremore, ne in judicio novis-

(h) Col. 3. 12.

simo

simo (quod *juxta regulam Charitatis* exhibitæ an intermissæ, *non Scientiæ* aut opinationum feretur) à conspectu ejus qui princeps pacis juxta Charitatis in Verbo planissimè publicatam, ac prædefinitam Legem *Sententiam feret*, improbati æternum rejiciantur.

Lites duorum Israelitarum Moses increpat Fratrum nomine objecto, & dolent Protestantes Fratres Britannici Germanicique, à nonnullis vestrûm cum Nationalis Ecclesiæ Reformatæ Præsulibus Pastoribusque factâ separatione acerbè litigari. Lugubris est ipsorum acclamatio, pientiùs à vobis agnoscenda, *Fratres estis!*

Non secùs atque olim cum ab Ecclesiâ cui Augustinus præerat, Donatistæ segreges haberent conventus, eos multum licet obnitentes (& præ vobis Dogmatum hostilitate aversos) ad unitatem placidissimè vocat; eos ita affatus. (i) *Si amatur à vobis Corpus Christi id est unitas Ecclesiæ rapite* [*omnes qui vobis junguntur & omnes qui sunt in domo vestra*] *ad fruendum & dicite Magnificate Dominum mecum!* — *Rapite ad*

(i) *Augustin. tom. 8. Psal. 33. Conc. 2. pag. 95.*

amorem:

amorem: ut si magnificant Dominum in unum magnificent. Pars Donati videtur sibi magnificare Dominum. Quid eos offendit orbis terrarum? Dicamus illis. Fratres magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen ejus in unum. Quare in præcisione vultis magnificare Dominum? Ille unus est. Quare duos populos vultis facere Deo? Quare vultis dissipare Corpus Christi? O utinam similis Echo in pectoribus resonaret vestris, Gratiaque Divina Conciliandæ Unitati me internuncium faceret, qui sollicitè illam suadeat persuadeatque firmiter, qui Unionis intimæ atque indivulsæ non equidem judicium ferat, indicium saltem illudq; evidens clarumque promat, humilique voto Consilium subministret amicum, iis omnibus quos per affectuum motus aut præjudicii anticipationem, obnubilata Ratio ab Ecclesiâ publicâ sejunxit.

Quòd si Consilia Pacis non improbetis *IN CHRISTO VENERANDI* [spero autem in Deum, cujus causam ceu pacificus ejusdem servus ago, vos neutiquam improbaturos] *MEDITATIONES hasce de Unitate Ecclesiæ Britannicæ* auspiciis & singulari Beneficentiâ *ILLUSTRISSIMÆ*

ACA-

ACADEMIÆ OXONIENSIS promulgatas, Vobis verò impræsens destinatas benevolâ mente manuque recipite. Speciales consequendæ Concordiæ Sacræ rationes Tractatus de MEDIIS Unitatis Ecclesiæ Britannicæ aperiet, quem Auspiciis *ILLUSTRISSIMÆ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS* luci exponere constitui, vobiscum itidem communicandum. Atque in hoc meo instituto cumprimis cavebo ne Britannorum cuiquam præjudicem. Sunt Viri magni atque insignitè docti, qui de Controversiis vestris scripserunt, ego (suo in loco eximio per manentibus illis) directam planamque demonstro viam, quâ sine scrupulosæ Conscientiæ vel læsione vel prolapsu, cum placidâ cordis tranquillitate ad Ecclesiam Nationalem aditus pateat, deturque in illâ permansio Deo accepta.

Quòd si non displiceant Pietati vestræ quæ suggero, res erit perquàm grata certiorem fieri monerique de remoris mihi necdum perspectis, ut Divino nutu etiam illæ in Tractatu futuro removeantur. Nec populo scribo sed *VOBIS IN DOMINO VENERANDI*, ut qui Communionem vobiscum eapropter singularem colam,

colam, quòd vocationis directione peculiari ad Theologicum munus utrinque ſimus deſignati. Evangelium pacis quod ſermone nequeo in terra peregrinâ pronunciare, ſcripto quoad licet explico, cùm à profeſſione pacis ſacræ, ubicunque tandem locorum agat, deſciſcere ſit nefas ſive Doctori Academico ſive Eccleſiaſtico Paſtori. Nimirum hic perpetuus mihi ſenſus eſt, graviſſimè lædi officium noſtrum, ipſumque Eccleſiæ corpus, quod Deus ſanguine ſuo comparavit, cùm Unitatem Pacemve ſanctam, nobis ejuſdem nunciatoribus graviſſimè commendatam dictis factiſque promovere intermittimus. Immemor equidem eſſe nolim Vocationis Sacræ, quam Senilis ætas, vulnerum Eccleſiæ remediorumque ſalubrium non inexperta, eò magis excitat, quò minùs diuturniori Laborationi tempus ſupereſſe prævideo. Liceat Melanchthonis verba pridiè quàm moreretur ad Caſparum Peucerum pronunciata ſimili affectu mea facere. *Non morbo moveor neque ulla eſt ſolicitudo quæ animum meum angat aut perturbet, una cura eſt una ſolicitudo, ut Eccleſiæ ſint in CHRISTO JESU concordes.* Succeſſum com-

mendo Deo pacis, ejuſdem immeritus præco, erectæ conſcientiæ fiduciâ atque animo tranquillitatis pleno confiſus. Nec ſine imitamine. Sequor in re ſanctâ ipſummet conterraneum Veſtrum *Cl. Duræum*, qui Conſilia nobiſcum in Eccleſiâ atque Academiâ Palatinâ ſubinde ex Haſſiâ communicavit, noſtra expetiit auxilia, multumque promovit Syncretiſmum Lutherano-Reformatum Germanos inter, ſpeciatim Rintelenſes Academicos, eô bonorum plauſu, ut Pacis Eccleſiaſticæ amor integro ſeculo Templis atque Auditoriis propemodum ejectus, inter Virtutes Theologicas numerari tandem incipiat.

Atque ut verum fatear Natione Germanus eâdem facilitate nunquam Unitatem ſuadere poterat. Habet enim *ſicut in alienandis* & avertendis per exotica Dogmata civium à ſeinvicem animis; ita in iiſdem *conciliandis*, peculiarem efficaciam *PEREGRINITAS*. Siquidem *raritas* non ſolùm rei propoſitæ ſed & proponentis, conciliatrix plerumque eſt Boni, quod cæteroquin incuriâ quadam faſtidiove aut contemptu negligeremus. Quin ſæpenumerò minùs obſervantes ſumus remedii quod

morbo

morbo curando Natale ſolum ante pedes objicit, atque aliunde oblata vel cara vel rara procliviùs recipimus. Addam quòd *infrequens ſuaſio* penitiùs concepta, inhærenſque intimiùs animo fiducia, ſanitatem improviſam ſæpenumerò adfert: dum aſſuetudo & vicinitas & quotidiana utendi facilitas, deſiderium quô vel maxime, Bono noſtro teneri debebamus reſtinguit, peregrè allatum Remedium excitat. Suadeat Anglus *Scoto* unionem fortiſſimis rationibus, perſuadens licet haud perſuaſerit, imò in adverſum expedientur arma, propudiatâ pace novum ardentiuſque excitabitur Duellum. Habet equidem utraque Britannia ingentem Doctiſſimorum copiam, Orbe toto literario ſummis æſtimatam modis: verùm heic non tàm diffuſa Scientiæ magnitudo (ſub onere quandóque ſuo fatiſcens) quàm Affectûs Pacis deſiderio pleni rara pia receptuque facilis pronitas requiritur. Promtiùs utique admittitur extra partes conſtitutus Interceſſor Advena, qui ſollicitet ad pacem, quæ propria ejus non interſit, inde prece hortatu ſuaſu, informet proponat dilucidet mitiget, certamina diſputatoria cen-

suraſque dictatorias procul amandet, conſiliis monitiſque publicam Eccleſiæ tranquillitatem unicè reſpiciens.

Quòd ſi ad primordia Chriſtianiſmi reflectamus oculos, non ab aliis quàm *Peregrinis utrique Britanniæ* Nuncium Sacroſanctæ cum Deo per unicum Soſpitatorem noſtrum promeritæ Pacis, primitùs fuit propoſitum: atque inde à nonnullis *Britannis ſed eô ipsô Peregrinis* Phoſphoris, Lux Evangelica in pluribus Germaniæ oris eſt accenſa. Si altiùs elevemus mentem ipſe quaſi *Peregrinus* JESUS Cœlo ad nos deſcendens, Sanctiſſimæ Pacis ſuæ Apoſtolos in terrarum orbem, (advenas utique atque hoſpites dimiſiſſe) cognoſcitur; ut nos *Cives* unius Eccleſiæ in terrâ militantis, in Cœlo triumphatricis conſtitueret. Verùm undelibet oriundus ſit aut Nuncius aut Medicus, dum modò ſalutarem ille Pacem, hic Sanitatem afferat, non rejectaneus prudenti fuerit aut ſpernendus. At verò ſiquis vel contentioſior plus æquô, vel præjudicii ſemel concepti ſit tenacior, ut Irenicum reſpuat, malim talem ſibimet relinqui, quàm litigiorum ferram cum illo reciprocare,

ciprocare, ut qui *Veritatem antiquissimæ Gubernationis Ecclesiasticæ Rituumq; pietatem in Charitate Christianâ, & Charitatem in Pace, ad consensum cum ordinatissimis simul atque amplissimis Protestantium Ecclesiis, adeoque Unitatem Britannicæ*, juxta Gratiæ Divinæ ductum promovere constituam. Quod si quis piis hortaminibus adversari, aut quæ unitati necessaria est *Primitivæ Ecclesiæ Gubernationem, per Antistitium perpetuum legitimèque successivum, & consuetos Ritus innoxios, precesque publicas uniformes* impugnare volet, malitque contentiosus esse quàm Pacis sectator, is intelligat (k) *Nos ejusmodi consuetudinem non habemus neque Ecclesiæ Dei.*

Verùm siquis pertinaci præjudicio correptus a Pace sacrâ prorsùs alienus, iræ suæ tantoperè obsecundet, ut me ceu scopum sibi præfigat, in quem adversa conjiciat tela, norit incassùm se laboraturum, siquidem illa quæ intorquebit Veritatis Clypeo retundentur. Eâ tamen lege agendum judicaverim & cautione solemni, ut si Peregrinus ego, non satisfecero Bri-

(k) 1 Cor. 11. 16.

tannorum

tannorum cuivis, *nulla* inde *Causæ Publicæ* inferatur *præjudicatio:* deinde ut constituantur *Arbitræ Ecclesiæ atque Academiæ Transmarinæ*, quarum judicio uterque se submittat, atque illæ sint *Protestantes Quatuor Augustanæ Confessionis, Danica Suecica Saxonica & Wurtenbergensis*, totidemque *Helveticæ Reformatæ.* Harum judicio stabo equidem cademque sed solus, similiter juxta earundem arbitrium, vel stet vel procidat, quicunque spiritu contentionis occupatus adversùm pugnare maluerit, quàm mansueto animo Pacis Unitatisque sacræ Consilium mecum & cum Pacificis, quos Servator (l) *Beatos Dei Filios* vocandos pronunciat amplecti.

Illud unice in Meditationibus meis sacris de Unitate Ecclesiæ Britannicæ, quas *VOBIS IN CHRISTO VENERANDI* transmitto, per vota precesque intendo [argumentis usus non subtili contorsione flexuve involutis, quibus evolvendis Scholasticorum artes sint adhibendæ, Verùm apertis, quæ candore luceant Evangelico] ut cordibus nostris instilletur *Communio*

(l) Matth. 5. 9.

cum

cum Christo Capite ejusque Corpore, tranquillitas animi apud singulos, publicique cultûs socialis amœnitas, triplicis Regni *Pax Sacra, inde felicitas temporea, & non desitura Pacificorum Beatitas.* Hanc si cogitemus ardentiùs & cupiamus perfecto Zelo, viam Christianæ Charitatis ad eam ducentis ingressi, spinosis contentionum, iræ, invidiæ, typhi odiique deviis procul relictis; si pacem Domûs Dei dum in terrâ Viatores degimus expetamus; placidè votis desideriis actionibus nostris ad Bonum ipsius Ecclesiæ, (cui totius Regni Salus innexa est) unice directis accendamur; breviusculum vitæ nostræ tempus quod Paci Sacræ impendimus Æternitas excipiet Beata.

Quapropter *VIRI IN CHRISTO VENERANDI,* per Gratiosissimam Servatoris nostri Bonitatem atque Miserationem, per præsentes Pacis futurosque Beatitatis fructus rogo atque obsecro; ut & consilio & operâ Vestrâ Scissiones omnes tollantur, Ecclesiæ Nationali non avulsis membris ullis Integritas Unitasque reddatur, conservetur. Ad hoc opus sanctum animemus nos invicem,& excitemus proximos nostros ejusdem Fidei Consortes,Sancti Pauli moni-

to.

to. (m) *Si qua est consolatio in CHRISTO, si quod solatium charitatis, si qua communio Spiritûs, si quæ viscera ac miserationes, explete meum gaudium, ut idem sapiatis eandem charitatem habentes, unanimes & sententiis uni: Nihil gerentes per contentionem aut per inanem gloriam sed ex animi submissione alii alios existimantes sibi præcellere. Ne sua quisque spectate, sed unusquisque etiam quæ sunt aliorum. Itaque is sit affectus in Vobis qui fuit & in CHRISTO JESU.*

Cujus Divinæ Gratiæ Vos omnes devotis precibus commendo

VESTRIS REVERENDIS
DIGNITATIBUS ADDICTUS

I. SEOBALDUS FABRICIUS. Dr

Dabam Londini 17 Martii,
An. 1677.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY

(m) Phil. 2. 1.